



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XII. Ne clerici praesumant saeculares procurations suscipere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

licet si fuerint dilapidatores , nec continenter vi-
xerint , aut aliquid tale egerint , pro quo amo-
uendi merito videantur : aut si etiam pro necessi-
tate maioris officii , de * consilio fratrum fuerint •
transferendi.

X I.

Clerici in sacris ordinibus constituti , qui mu-
lierculas suas in domibus suis incontinentiae nota
tenuerint , aut abiificant eas , & continenter viuant ,
aut ab officio & beneficio ecclesiastico fiant alieni .
Quicumque incontinentia illa quæ contra natu-
ram est , propter quam venit ira Dei in filios diffi-
dentiæ , & quinque ciuitates igne consumpsit , de-
prehensi fuerint laborare , si clerici fuerint , eiiciantur
a clero , vel ad pœnitentiam agendam in mo-
nasteriis detrudantur : si laici , excommunicationi
subdantur , & a cœtu fidelium fiant prorsus alieni .
Monasteria præterea sanctorialium si quis-
quam clericus sine manifesta , & necessaria causa
frequentare præsumperit , per episcopum arcea-
tur : & si non destiterit , a beneficio ecclesiastico
reddatur immunis.

X II.

Clerici in subdiaconatu & supra , & in mino-
ribus quoque ordinibus , si stipendiis ecclesiasticis
sustententur , coram iudice sacerdotali * aduocati in
* negotiis fieri non præsumant , nisi propriam , vel
ecclesiæ suæ causam fuerint prosecuti , aut pro mise-
rabilibus forte personis , quæ proprias causas ad-
ministrare non possunt . Sed nec procurations
villarum , aut iurisdictiones etiam sacerdtales sub

ANNO
CHRISTI
1179.
exerce. aliquibus principibus , vel sacerdotalibus viris , ut iustitiae eorum fiant , clericorum quisquam * assumeret presumat. Si quis aduersus hoc tentauerit , (quoniam contra doctrinam Apostoli est dicentis: *Nemo militans Deo , implicat se negotiis sacerdotalibus ,*) ^{1. Tim. 2.} & sacerdotaliter agit ; ab ecclesiastico fiat ministerio alienus , pro eo quod officio clericali neglecto , fluctibus saeculi , ut potentibus saeculi placeat , se immergit. Districtius autem decreuimus punendum , si religiosorum quisquam aliquid predicatorum audeat attentare.

XIII.

Quia nonnulli modum avaritiae non ponentes , dignitates diuersas ecclesiasticas , & plures ecclesias parochiales contra sacrorum Canonum instituta nituntur acquirere , ita ut cum vnum officium vix implere sufficient , stipendia sibi vendicent plurimorum ; ne id de cetero fiat , districtius inhibemus. Cum igitur ecclesia , vel ecclesiasticum ministerium committi debuerit , talis ad hoc persona queratur , quae residere in loco , & curam eius per seipsum valeat exercere : quod si aliter fuerit actum , & qui receperit , quod contra sanctos Canones accepit , amittat : & qui dederit , largiendi potestate priuetur.

XIV.

Quia in tantum iam quorumdam processit ambitione , ut non duas , vel tres , sed sex aut plures ecclesias perhibeantur habere , nec duabus debitam possint prouisionem impendere : per fratres , & coepiscopos nostros carissimos emendari praeceperimus , & de

Concil. Tom. 27.

LII ij